



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 15. A Fati neceßitate omnibus ferè operibus humanis gulam interstringi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

*A Fati neceſſitate, omnibus ferè operibus
humanis gulam interſtringi.*

Poſſet hoc exemplum & alios ab errore hoc liberare, ſi id vellent, apud ſe, ſeriò expendere. Nam, ſi dilemma illud verum eſſet: neque comedere, neque bibere, neque dormire, neq; laborare deberent homines, ſed omnia à *Fato* ſuo expectare ac dicere: Si moriendum mihi eſt, moriar etiam ſi bibam, etiam ſi comedam, etiam ſi dormiam, etiam ſi laborem: ſi non moriendum, non moriar, etiam ſi non comedam, non bibam, non dormiam, non laborem. Igitur neque comedam, ne bibam neque dormiam, neq; ſeram, neq; metam. Hoc pacto argumentatus eſt olim S. Antiftes Mediolanenſis, cōtra eos, qui omnia reuocant ad agendi neceſſitatem, ſcribens: *Cur laborat agricola, & non magis expectat, vt illaboratos fructus, priuilegio ſuæ natiuitatis inuehat receptaculis horreorum? Si ita natus eſt, vt ei diuitie atque opes affluant, & ſibi ſpontaneos redditus, ſine vlllo ſemine, & labore, terra parturiat: non vomerem aruis imprimat, non curuæ & manus falci admoueat, non legenda vindemia ſubeat expenſam: ſed vltro ei in omnes ſerias fluentia vi-*

S. Ambr.
l. 4. He-
xam. c. 4.

na fundantur, sponte ei oleū nullis inserta caudicibus siluestri olere bacca desudet: nec diffusi aquoris transfretaturus periculum propria salutis sollicitus mercator horrescat, cui otioso potest quadam, ut aiunt, sorte genitali diuitiarū thesaurus allabi. Sed non hac est vniuersorum sententia. Denique impiger depresso aratro terram scindit agricola, nudus arat, nudus serit, nudus sole feruente tostas aestate colligit fruges: & negotiator impatiens flantibus Euris intuito plerunq; nauigio sulcat mare. His talibus quotidianis exemplis clarissimum fit, nullam, in operibus humanis moliendis, Fati necessitatem, libero arbitrio industriæq; vincula iniicere; nec *Fatum*, si quod est, hominis in vtramque partem agendi facultatem excludere.

§: XVI.

Quo sensu Fatalis necessitas tolerari, aut, tanquam vera explicari possit?

Quo intellectu veteres quosdam *Fatum* asserentes, non omnino reiicit D. Augustinus, cuius hæc sunt: *Qui verò non astrorum constitutionem, (sicuti est, cum quidam concipitur, vel inchoatur) sed omnium connexionem serièmq; causarum, qua fit omne, quod fit, Fati nomine appellabant; non multum cum eis*

S. Augustin. lib. 5. de Ciuit. c. 8.